



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

79. An Episcopo absque causa possint valide revocare approbationem non solum Confassariis sæcularibus, sed etiam Regularibus? Et an Episcopus absque iusta causa possit saltem revocare approbationes ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

tractare reuocationem pro tempore sequenti. Et certe si Episcopi hoc non possent facere, non possent satis consistere suo gregi, cum non possent prohibere illi Confessarium ineptum semel approbatum, etiamsi clarè constaret de eius ineptitudine. Sed si Episcopus sine iusta causa reuocaret approbationem concessam Regularibus, putet cum Lugo *ubi supra n. 64.* esse non solum illicitam, sed etiam inuolidam talem reuocationem. Et hanc sententiam præter DD. quos citavi in 3. part. 1. 2. \* resol. 2. tenet nouissime Stephanus Banny in *Theol. Mor. part. 1. tr. 4. q. 9.* quia, ait ille, Regulares quos Episcopus approbavit ut idoneos, cum ab eo amplius non pendant in usu potestatis absoluedi; sed à solo Pontifice Romano, à quo iurisdictionem suam habent, reuocari hæc ab Episcopo non potest, nisi inuolide, ac sine effectu. Deinde reuocatio iustæ causæ, ac iuris per illam acquisiti sine causa, non modò est iniusta, sed etiam nulla, eò quòd sententia quæ data est per regulas iustitiæ, sit irreuocabilis: sed approbatio alicuius ad Confessiones est instar iustæ sententiæ, cum tali approbatione iudicetur ad eas idoneus: & sic per eam ius ad eas audiendas approbato acquiritur; ergo si tollitur, tollitur iniuste, ac sine effectu: ac proinde poterit Regularis, cui per talem reuocationem videtur fieri iniuria confessiones excipere, ut prius, ita Petrus de *Prinl. Minorum, tom. 1. conf. 26. Leo X. §. 6. n. 7.*

5. Obiicit. Quod ad beneplacitum datur, potest ad libitum concedentis reuocari: sed ab Episcopo manat ad Religiosos potestas audiendarum confessionum. Ergo, &c. Maior est distinguenda: nam id quod conceditur, metum est beneficium, aut sententia: si primum, vera est maior: si secundum verò falsa. Ad minorem autem dicendum est approbationem licentiam non esse, sed sententiam, seu declarationem, quòd examinatus dignus sit, qui ad confessiones excipiendas applicetur. Huc vique Banny.

6. Et hæc dicta esse volo, non studio contradicendi opiniones, quas nouissime docuit Lud. Cellolotius; est enim vir doctissimus, & eruditissimus, & de cuius lectione magnopere delectatus sum: sed ne Regulares illas in praxi deducant, & hoc ad tollenda dissidia, & remouenda scandala, quæ cum Episcopis oriri possent. Vellem tamen Dominos Episcopos conseruare Regularibus eorum priuilegia, & considerare, quod pro illorum tuitione non desunt Auctores magni nominis, & simul agnoscere merita Regularium, & quantum eis detur pro seruitiis factis, & quæ in dies faciunt Ecclesiæ vniuersali, & eorum particularibus Diocesibus.

## RESOL. LXXIX.

An Episcopi absque causa possint valide reuocare approbationem, non solum Confessariis secularibus, sed etiã Regularibus?

Et an Episcopus absque iusta causa possit saltem reuocare approbationes Regularium, si data fuerint ad beneplacitum?

Et notatur Sacerdotem semel approbatum, si absque causa ab Ordinario reproberetur, aut suspendatur, posse eligi in Confessarium per Bullam Cruciata, si non ex culpa sua propria hoc euenierit? Ex part. 1. tractat. 4. & Misc. 4. Ref. 15.

Sup. hoc pro Confessariis secularibus, & regularibus, in Ref. præterita, & s. 1. **A**firmatiuè respondet Nicolaus Lambert Doctor Sorbonicus 3. part. D. Thom. 11. 3. disput. 21. de Sacrament. Pœnit. artic. 4. Probatur, Approbatio de qua agimus, tandiù debet in Confessario moraliter perseuerare, quandiù proxima ido-

neitas ad Sacramentum hoc administrandum, supposita iurisdictione, perseuerat in illo, quia est quædam conditio in illo essentialiter requisita, sed hæc approbatio in presenti difficultate non amplius moraliter perseuerat in illo, quia supponitur reuocata, neque potest responderi esse inuolide reuocata, & sic censeri adhuc moraliter perseuerare, nam hæc approbatio iam concessa, non est minus sub libera dispositione Episcopi, seu Ordinarij; quam sit iurisdictione per eum absolute & simpliciter concessa alicui alieno Sacerdoti in Sacramento Pœnitentiæ exercenda circa proprias oves eiusdem Episcopi; vtraque enim concessio est aliquis actus iurisdictionis, & hic posterior magis propriè quam sic ille prior solius approbationis, sed Episcopus, seu Ordinarius potest valide (esto non licite) absque vlla causa legitima, ut reuocare iurisdictionem, quam alicui docto, & probo Sacerdoti dedit pro pœnitentiis in Sacramentali confessione audiendis, & absoluedis, ut Sacerdos ille, vbi hæc reuocatio ei sufficienter innouit, non possit amplius validè pœnitentes absolueri in Sacramento Pœnitentiæ; ergo, & pari iure Episcopus, seu Ordinarius potest valide quidem (esto non licite) approbationem hæc à se datam alicui pio, & docto Sacerdoti absque causa legitima reuocare: ita ut in posterum non possit valide hoc Sacramentum administrare. Deinde probatur; Summum Pontificem dare alicui alieno Sacerdoti speciale priuilegium, quo approbatio simpliciter, & absolute ei per Episcopum concessa pro confessionibus pœnitentium excipiendis, & Sacramentali absolutione impertienda, non possit reuocari, est signum, talem approbationem esse ex sua conditione reuocabilem per Episcopum, seu Ordinarium, qui illam concessit; nam priuilegium est quædam lex priuata, qua quis eximitur per auctoritatem superioris à communi lege; & si hæc approbatio sic obtenta est ex se irreuocabilis, cur petatur, & confertur à Summo Pontifice priuilegium, ne reuocetur. Sed Pius Quintus Summus Pontifex motu proprio decimo septimo Kalendas Iulij, anno Christi Domini 1567. & octauo Idus Augusti, anno 1571. ut videtur est apud Emanuelem Rodericum *tom. 4. questionum Regularium, Bulla 6. & 7.* dedit priuilegium Mendicantibus, ut semel approbati cum examine ab Episcopo non possint amplius ab illo eodem examinari, sed maneant approbati; ita tamen ut ab eius successore possint iterum examinari: igitur approbatio absolute ab Episcopo, seu Ordinario data alicui pro audiendis confessionibus Pœnitentium, iisque Sacramentaliter absoluedis, potest valide etiam sine causa rationabili ab eo, qui concessit illam, reuocari.

2. Neque huic nostræ propositioni obstat, quòd in citatis decretis Bonifacij Octauij, & Clementis Quinti, Mendicantes æquantur Curatis, seu Parochis, Episcopus autem non possit etiam absque aliqua causa rationabili impedire Parochum, seu Curatum, ne propriam Parochianum debite contentem, ritè dispositum valide absoluat. Nec item quòd Pius Quintus Bullis proximè citatis dederit Mendicantibus priuilegium, quòd approbatio illis semel per Episcopum concessa, non possit reuocari: nec denique quòd aliqui habeant immediate à Summo Pontifice iurisdictionem pro hoc Sacramento omnibus & singulis administrando. Hæc inquam non obstant, primùm quidem, quia Mendicantes ibi æquantur tantum Curatis, seu Parochis penes potestatem absoluedi, quatenus Mendicantes possunt vi illius vniuersique decreti absolueri pœnitentes ab iis tantum casibus, à quibus Parochi iure communi possunt

possunt suos absolueret; ut longè dispar est conditio Parochorum à conditione illorum Sacerdotum, quibus hæc approbatio est necessaria, quòd istorum approbatio sit fundata in eorum parochiali beneficio, & illi annexa per Concilium vniuersale; Episcopus autem non possit validè, sine causa aliqua rationabili spoliare Parochum suo beneficio; nec possit nuda, & simpliciter sua auctoritate disingere, quæ speciali decreto vniuersalis Ecclesiæ sunt inter se coniuncta; cum sit hoc inferior.

3. Secundum item non obstat: illud enim rectè potest intelligi de eo; quòd tantum sit non licitè, non autem de non valido præcisè sumpto (de quo tamen præsens difficultas tantum procedit) quia expressis verbis ait successorem eius Ordinarij, qui dedit hanc approbationem, posse, si velit, approbatos à suo prædecessore subicere examini, & ex consequenti (loquendo absolute) illam penitus reuocare; deinde, si quis contendat Summum Pontificem ibi agere de valido, responderetur non propterea responsionem nostram esse falsam; hæc enim procedit tantum de approbatione secundum se considerata, non autem propter subest speciali subordinationi Summi Pontificis, qui ut suprema suæ auctoritatis potest impedire effectum inualidationis per aliquem Episcopum factæ, nimirum hunc confessarium, de quo agimus, reuocante etiam Episcopo suo, seu ordinario approbare pro confessionibus sacramentaliter excipiendis, sicut potest (ut supra docuimus) dare iurisdictionem sufficientem pro excipienda Sacramentali Confessione alicuius Diocæsani contra voluntatem sui Episcopi. Tandem potest responderi privilegium istud videri abrogatum per Gregorium XIII. Is enim Bulla sua; quæ incipit, *In tanta rerum, & negotiorum mole*, quæque fuit data Calendis Martij anno 1573, & refertur à Roderico loco superius citato, Bulla 38. rediit literas, & constitutiones Pij V. pro Mendicantibus, & aliis Regularibus contra locorum Ordinarios ad terminos iuris communis, & decretorum Concilij Tridentini; & per hanc responsionem intelligitur esse satisfactum confirmationi ab Auctore contrariæ sententiæ, petitæ ex responso sacre Congregationis Cardinalium, dato tempore Pauli V. anno 1615. 20. die Nouembris, quod totum de verbo ad verbum Puteanus refert secunda parte de confessione in fine vltimi dubij; nam priori parte Patres illi volunt solummodò Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum ordinariis non licere confessarios Regulares aliàs ab eis libere approbatos posthac ab audiendis confessionibus suspendere, nisi ex noua occasione, & causa; sicque agunt dumtaxat de licito: nos verò agimus de valido, quod in hac materia latius patet licito; posteriori autem parte statuunt, prædictos Episcopos, & ordinarios nullo pacto posse inconsulta Congregatione omnibus simul vnus conuentus regularibus confessariis facultatem audiendi confessiones adimere, quod rectè potest etiam explicari de licito, quatenus censent, vix posse dari causam rationabilem ad licitè suspendendum omnes simul confessarios vnus integri contentus; & idèd decernunt, ut antequam fiat talis suspensio, S. Congregatio consulatur, qua loquendi formula significant se tantum loqui de licito, si enim agerent simpliciter de valido, non opus esset hæc adhibere præcautionem, S. Congregatione inconsulta, quæ videtur adhibita, ut possit diiudicari hanc suspensio fiat ex aliquo odio, aut alio malo motiuo, & sic absque causa rationabili, & legitima.

4. Denique tertium non obstat; est enim iurisdictione aliquid distinctum ab hac approbatione; nam iurisdictione potest aliunde haberi, ut supra animaduertimus: quæ tamen, quia non potest ad praxim, & vsum reduci post decretum in Concil. Trident. factum, de illa tamquam essentialiter requisita in confessario, nisi Summus Pontifex conferendo alicui iurisdictionem, simul etiam de speciali gratia illum approbaret pro excipiendis omnibus Sacramentalibus confessionibus, sicque huic decreto derogaret, quod tamen communiter non facit, quemadmodum constat ex Iubilæis, in quibus semper requirit, ut Sacerdos absolvens etiam virtute Iubilæi, sit approbatus ab ordinario.

5. Et hæc omnia docet Lambert *vbi supra*, cui adde Turrianum *de sacram. pen. quæstio. c. octaua, artic. 1. disputat. 26. dub. tertio, in fine*, Sancium, & Hurtadum.

6. Sed quicquid sit de Sacerdotibus secularibus, quoad Regulares ego contrariæ sententiæ adhaerendum esse puto; & ita tenent Doctores, quos etiam me citato adducit & sequitur Leander *de Sacram. 1. 17. 5. disp. 11. 9. 89.*

7. Verum difficultas est, An Episcopus absque iusta causa possit saltem reuocare approbationes Regularium; si datæ fuerint ad beneplacitum suum. Respondeo cum Cardinali Lugo *de pen. disp. 21. sect. 3. 63.* quòd si approbatio data fuit ad beneplacitum posse reuocari licitè ex causa, & valide etiam absque causa, non solum secularibus, sed etiam Regularibus: Ratio est, quia approbatio data cum limitatione, & ad certum tempus, transacto illo tempore cessat, ut diximus, & potest aliquando approbatio cum tali limitatione conferri ex causa iusta; quando autem approbatio datur ad beneplacitum, est approbatio limitata ad certum tempus vagum, determinandum pro arbitrio approbantis: ergo aliquando licitè dabitur cum illa clausula, quando scilicet sunt causæ ad dandam approbationem cum limitatione, semper autem valida erit limitatio; ita ut cessante beneplacito approbantis, approbatio eo ipso intelligatur cessare.

8. Verum, his non obstantibus ad hoc dubium negativè respondet Leander *vbi supra quæst. 90.* cum Peyrino Trullench. Fagnand. & Ludouico à Cruz probatur; quia licentia, quæ Regularibus datur ab Episcopis ad confessiones audiendas non est propria licentia, sed approbatio personæ quoad sufficientiam & idoneitatem ad confessiones excipiendas, qua supposita, statim Papa concedit illis facultatem, & iurisdictionem ad sacramentum penitentia ministrandum, ut patet ex *Clem. Dudum, cit.* ergo nequit prædicta licentia, seu approbatio ad libitum Episcopi reuocari.

9. Nota hic etiam contra Ioannem de la Cruz in *summa part. 2. de sac. pen. q. 5. dub. 4. concl. 4.* & alios, Sacerdotem semel approbatum, si absque causa ab Ordinario reprobetur, aut suspendatur, posse eligi in Confessarium per Bullam Cruciatæ, & ita tenet Leander *vbi supra quæst. 32.* si non ex culpa propria hoc euenierit.

RESOL. LXXX.

An nouus Episcopus possit omnes Regularium licentias suspendere, & de nouo illos examinare?

Et notatur hoc ipsum non posse fieri a Capitulo Sede vacante.

Et an, si nouus Episcopus reuocat omnes licentias, & approbationes audiendi confessiones, non ideo comprehendantur Regulares, quando de illis specialiter

Sup hoc in annot. præma huius Ref.

Sup. hoc supra in Ref. 67 in fine cursum à ver. qui etiam addit & magis late in Ref. 71. & in aliis eius not.

Et pro contento in hoc §. vlt. in rom. 4 et 3. Ref. 23. & in R. C. 22. §. Nota etiam,